



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 110. Iterata, sed frustranea Pontificis molimina adversus Genuenses.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI  
A.C. 1510.

sperarent; opportune tamen adfuit Calvimontii auxilium: Hinc animus crevit obsessis, egressique porta, tanto furore obsidentibus inferunt signa, ut potior Venetorum pars fuga dilaberetur, reliquis misere trucidatis, demum erecti deiciuntur aggeres, tormenta bellica adactis clavis obstruuntur, & ipse Malvezzius consentiente Senatu obsidionem solvit, funestis totius exercitus reliquiis ad S. Bonifacium infra Albejum flumen sese recipientibus, ubi tamen in quodam loco, tam fluvii, quam paludum opportunitate munitissimo tam valide sese cingebant, ut impune cunctos hostium impetus eluderent.

## §. CX.

*Iterata sed frustranea Pontificis  
molimina adversus Ge-  
nuenses.*

Equidem frigoris asperitate jamjam imminente milites ad hyberna dimittere oportuisset, attamen Papa bellum continuari peroptabat, quippe nec Helvetiorum reditus, nec sinister contra Ferrariam ac Genuam armorum successus ejus animum fregerat; unde Gallos ab urbe Genuensi propulsare decrevit, spreto quorundam monitis, qui suggerebant, Gallos rebus suis intentos sibimetipsis  
fat

sat prospexisse adversus clandestina, quæ <sup>Sæcul. XVI.</sup> Papa intra urbem foveret, commercia, <sup>A.C. 1510.</sup>  
 necnon publica, quæ deforis in eos  
 cuderentur, molimina ipsis comperta  
 esse: exponebant insuper summo Ponti-  
 fici, quod classis Gallorum in Ge-  
 nuensi portu hæeret, urbsque validissimo  
 præsidio munita esset: nihilominus insu-  
 perhabitis hisce rationibus Papa obfirma-  
 to animo Venetis dissolutionem foederis  
 comminatur, nisi navalem exercitum, qui  
 Padi Ostia tuebatur, submitterent. An-  
 nuunt illi, quamvis inviti, classisque im-  
 perium ex Julii sententia Casparo Conta-  
 rino deferunt. Igitur novus ille Præfe-  
 ctus factis velis in altum procurrens, ad  
 Civitatem veterem appulsus est, ab ipso-  
 met summo Pontifice exceptus, qui iti-  
 dem in eadem urbe prætorix navis ve-  
 xillum solito ritu sacrabat. Solemnitas  
 adeo publica Calvimontii notitiam haud  
 effugere poterat, unde Pregentio, quid  
 in hac rerum vicissitudine ageret, jussa  
 dedit, ille autem, cum classem suam ho-  
 stili longe inferiorem nosset, veritus, ne  
 invaderetur, maluit in Portu-Veneris tu-  
 tum asylum quærere, quam in Genuen-  
 sium portu inclusus hæere. Ast Conta-  
 rinus eo usque Gallorum classem insecu-  
 tus, nil intentatum reliquit, ut Gallos ad  
 navale prælium in alto mari committen-  
 dum provocaret; verum incassum omnia,

Sæcul. XVI  
A. C. 1510.

unde hunc portum prætervehi compul-  
sus, versus Genuam vela protendit, ubi  
Fregosiorum factionem abs moræ dispen-  
dio arma sumpturam sperabat Pontifex:  
Aft inexpectatum erat omnibus ocium;  
quippe concepta de civibus fide, cuncti  
in ædibus suis sese continere jubeban-  
tur, atque ad exploranda eorum moli-  
mina in omnibus plateis velut in totidem  
speculis vigiles excubabant milites, qui  
in cives, si turbam in unum locum con-  
gregare conspicerentur, protinus irruere  
parati erant.

§. CXI.

*Papæ ac Venetorum classes re infecta  
recedentes.*

Ceterum portus fauces, ac maris oræ  
tam sedulo ab equitibus, peditibus-  
que obsidebantur, ut hostium classis nec  
unicum quidem militem, quin illico cir-  
cumdatus caperetur, in terram exponen-  
di libertatem haberet; quocirca Vene-  
ti, postquam longiores naves suas, ac  
quam plurima alia navigia integro triduo  
in hostium conspectum duxissent, re in-  
fecta ex Genuensi portu in Civitatem  
veterem iter suum remetiri compelleban-  
tur, amissis quinque triremibus, quæ  
tempestatis vi ad Messinæ fretum allisæ  
perierunt, aliæ ad Barbarorum oras pro-  
jectæ,